HAIMO ALTISSIODORENSIS
3. Viertel 12. Jh.
Seite 219v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

et carnes tribunorum et carnes fortium et carnes equorum et sedentium in ipsis.
Hoc est quod petro dicitur occide et manduca. idest in hominibus occide
infidelitatem et trahe in corpus tuum quod est ecclesia. Per carnem autem in hoc
loco totus intelligitur homo. Aliquando enim in scriptura per animam
totus homo accipitur ut est illud. descendit iacob in egyptum in
animabus septuaginta. aliquando etiam per carnem ut est illud. et videbit
omnis caro salutare dei. Neque enim aut animae in egyptum sine
corporibus ingressae sunt aut caro sine animabus filium dei videre po
terit. sed carnis et animae nomine totum intelligitur homo. idest a par
te totum. tra g. et hic fit cum dicitur. Vt manducetis carnes regum et tri
bunorum. Quo in loco diversae hominum qualitates ad christum conuer
tentium comprehenduntur. Sunt quippe in ecclesia reges. sunt et tribuni
idest comites et ceteri comitatus nobiliores. sunt fortes uiri belli
cosissimi ad christum conuersi. Per equos autem hii designantur qui prius
erant uoluptuosi et luxuriae coinquinati. De quibus propheta dicit
Qui missarii facti sunt insanientes in feminas. Et in psalmis ipse
dominus admonet dicens. Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus.
Possessores autem heresiarchas appellare possumus qui dum eloquio et
scientia carnalibus eminent. quasi sunt bruta animalia con
sident. easque iure potestatis ad quod libet facimus abutuntur. Sed
aliquando tales sed sua doctrina ad fidem christi conuertuntur et ad
bonitatem ecclesiae trahunt. sicque quasi mactantes eos comedunt.
Et carnes omnium liberorum ac seruorum et pusillorum ac magnorum. Liberi
sunt uirgines carne. serui autem coniugio obligati. quibus apostolus dicit
Cum serui estis peccati liberi fuistis iustitiae. idest alieni fuistis a iusti
tia. Per pusillos uulgus ignobile intelligitur et multitudo plebis.
per magnos uero philosophi et diuites huius seculi. Et his omnibus
magnum illud conuiuium cenae ab exercitu quidem sedis ecclesiae preparatur
sed in fine temporum habundantius preparatur. quando non solum gen
tiles sed etiam iudei occurrunt et ad christum conuertuntur.